

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVIII - N. 1

2006

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

JUNII 2006

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos 28 ianuarii 2006	3
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	---

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSLII SUBMISSAE	7
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	9
NOTA circa la natura giuridica e l'estensione della « <i>recognitio</i> » della Santa Sede	10

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS Rescriptum ex Audientia	18
TRIBUNAL ROTAE ROMANAЕ Allocutio ad Summum Pontificem Exc.mi Decani Tribunalis Rotae Romanae occasione Audientiae diei 28 ianuarii 2006	20

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio I)	23
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio II)	61
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio III)	118
NOTITIAE	156
OPERA A CONSLII BIBLIOTHECA RECEPTA	157

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII «DE PROCESSIBUS»

Sessio I^a
(diebus 24-28 maii 1966 habita)

Postquam Em.mus Cardinalis Petrus Ciriaci, Praeses Commissionis, die 24 h. 9,30, salutem omnibus Consultoribus qui convenerant dixit, eisque methodum laboris exposuit in tria puncta divisam, videlicet a) ut quaestiones generales circa argumentum designatum examinarent ac solverent, b) ut cann. 1522-1608 CIC perpenderent, eorumque emendationes aut reductiones proponerent, c) ut in Relatione summaria conclusiones ipsius Coetus constarent, eodem die 24, h. 10,15, Coetus efformatus ab Exc.mo A. Sabattani, relatore principali, Rev.mis I. Pinto, I. De Castro Nery, G. Gallen, Rev.mo P. Regatillo, assistente Secretario Pontificiae Commissionis, Rev.mo P. R. Bidagor, Sessiones incipit. Actuarii munere fungitur Rev.dus Voto.

Adunatio I^a
die 24 maii 1966 mane habita

Rev.mus Relator exponit quaestionem de *Tribunalibus Regionalibus ubique constituendis*, uti generalem structuram iudiciorum ecclesiasticorum tangentem in suis gradibus et speciebus, incipiens a declaratione eorum quae in sua Relatione scripsit, et Coetus Consultoribus iam distribuit. Post brevem historiam Tribunalium Regionalium, Rev.mus Secretarius indicat quaestionem in praesenti rerum statu implexam videri, ex eo quod Tribunalia regionalia nunc extantia a competentia S. Congregationis de Sacramentis directe pendent, dum alia Tribunalia, iuxta CIC constituta, a sola hierarchia Episcopali. Si agitur de introducendis in Codice I.C. Tribunalibus regionalibus, quoddam statutum dare oportebit, ea quoque Tribunalia ad hierarchiam episcopalem tradendo. Unde difficultates apparent de modo et loco in futuro Codice legem ferendi circa praedicta Tribunalia.

Consultores qui de re loquuntur (Rev.mi primus, secundus et tertius Consultores) Tribunalia regionalia ubique utilissima fore tenent, ac pari modo convenientiunt non unanimiter toti Ecclesiae latinae ea imponi debere. Cum opportunitas immo eorundem appareat ex numero causarum matrimonialium, quae in Tribunalibus ecclesiasticis agitantur, constitutio Tribunalium regionalium pro illis tantum causis contrahere oportet.

Duo Consultores (Rev.mi quartus et primus Consultores) proponunt ut iisdem attribuantur etiam examen et decisio casuum exceptorum, de quibus in can. 1990 et sq., quos quidem casus exceptos extendi valde expedire aestimatur. Qua de re omnes convenientiunt.

Rev.mus primus Consultor rogat ut nova redactio canonis 1574 ab ipso proposita nunc examinetur. Textus examini subiectus hic est:

« § 1. In qualibet ecclesiastica Provincia regionale tribunal constituatur cuius iudices ipsimet Vicarii iudiciales dioecesum provinciae erunt. Quodsi provincia quinque saltem dioeceses non habeat, duo vel tres provinciae convenienti ad regionale tribunal constituendum, dummodo duodenarius dioecesum numerus non excedatur.

§ 2. Regionale tribunal competens est ad pertractandas cum potestate ordinaria in prima instantia omnes causas suae regionis quae collegiale tribunal exigant.

§ 3. Tribunalis regionalis sedes in civitate archiepiscopali invenitur, et si duo vel tres archiepiscopales civitates habeantur, Sedes Apostolica sedem designabit.

§ 4. Archiepiscopus in cuius civitate tribunal sedem habet est tribunalis moderator cum omnibus iuribus et officiis quae Episcopo a lege in suo tribunali tribuuntur, nisi aliter cautum sit.

§ 5. Promotores iustitiae, Vinculi defensores, Notarii eorumque substituti, ad validitatem, constituendi sunt in coetu Episcoporum regionis; huius etiam erit determinare retributionem pro ministris a dioecesibus solvendam, necnon advocatorum ac procuratorum emolumenta.

§ 6. Unusquisque iudex ad annum Tribunal praesidebit, servato turno ab Archiepiscopo moderatore definito; praesidis vero erit caeteros administratos constituere ».

Animadversiones eidem canonii factae, sequentes sunt:

a) lege generali non sunt imponenda in tota Ecclesia Tribunalia regionalia prout proponuntur;

- b) consequenter non supprimendum tribunal dioecesanum, quod in singulis dioecesibus constitui debet ad normam iuris;
- c) Tribunalia regionalia Conferentiae episcopales postulent a Sancta Sede;
- d) Non restringatur competentia illorum ad causas formales, sed extendatur ad casus exceptos;
- e) principia generalia constitutionis eorum Tribunalium in lege communi proponantur.

Quibus perpensis, Consultores conveniunt de eo quod Rev.mus primus Consultor novum de re schema praeparet.

Postea Rev.mus Relator proponit quaestionem generalem de Tribunalibus tertiae instantiae in regionibus constituendis. Consultores, firmis privilegiis iam tributis, concorditer aestimant, ob rationes quas Relator in sua relatione exhibuit, in hodierno rerum statu non esse admittenda huiusmodi Tribunalia tertiae instantiae.

Adunatio II^a
die 24 maii 1966 vespere habita

In prosecutione quaestionum generalium, Rev.mus Relator proponit quaestionem de *duplici sententia conformi* in iure canonico necessaria ad efformandam rem iudicatam, vel obtinendum effectum de quo in can. 1903 CIC. Oportet nempe, ait Rev.mus Relator, configurare modum aliquem secundae instantiae per quem primo et per se examinetur num rata habenda sit sententia primae instantiae. Post latam sententiam in prima instantia, defensor vinculi appellat ad tribunal secundae instantiae. Ponens secundae instantiae declarat sententiam niti in fundamento iuris et facti et tunc a collegio ratam haberi posse aut deberi; vel edicat non niti in fundamento iuris et facti et tunc admittendam esse ad novam instantiam.

Rev.mus tertius Consultor dicit can. 1992 iam praebere aliquid simile.

Rev.mus secundus Consultor putat quod, si defensor vinculi videt nullitatem omnino claram esse, debet renuntiare appellationi.

Rev.mi Relator et Secretarius opponunt Rev.mo secundo Consultore formam aliquam secundae instantiae omnino necessariam esse ut praebantur cautiones et praesidia in re tanti momenti.

Rev.mus Relator non negat solutionem quaestionis ab ipso adumbratam

dare posse ansam gravibus quaestionibus doctrinalibus circa naturam iudicii illius ratihabitionis, utrum scilicet sit iudicium administrativum an iudiciale.

Rev.mus Secretarius suggerit ut, post illam ratihabitionem, pars quae se sentit gravatam possit afferre nova argumenta ut tertia instantia habeatur.

Hoc modo delibata hac gravi quaestione, Rev.mus Relator dicit se paraturum schema aliquod can. 1986 ita ut in alia sessione possit melius definiri.

Deinde fit transitus ad aliam quaestionem, scilicet de *stabilitate iudicum magis firmanda*. Omnes Consultores putant necessariam omnino esse stabilitatem iudicum; propterea determinandum esse spatium munieris, ex.gr. ad quinquennium vel quid simile.

Rev.mus Secretarius, praeterea, dicit necessariam etiam rigiditatem aliquam in ordine turnorum iudicum, sicuti habetur in S. Rota.

Alia quaestio quam Consultores aggrediuntur est illa *de distinctione inter ordinem iudiciale et ordinem administrativum*. Mandatum datur Rev.mo primo Consultori indicem quemdam concinnandi quaestionum iudicialiter tractandarum et indicem quaestionum administrativo modo tractandarum.

Rev.mus Relator dicit se optare ut determinentur aliqui gradus accessus etiam pro tribunalibus administrativis, ex. gr. ut semper adeatur, in materia propriae competentiae, S. Congregatio Concilii antequam deveniatur ad Tribunal Supremum Administrativum. Utique S. Congregatio Concilii est S. Sedes, proinde, in casu appellationis, appellaretur contra decretum S. Sedis; sed, quaeritur, quid vetat Summo Pontifici novum organum constituire cui possit appellari contra decreta SS. Congregationum?

Rev.mus secundus Consultor vero notat processum administrativum debere esse brevem; diversi gradus accessus autem brevitati isti nocerent.

Adunatio III^a
die 25 maii 1966 mane habita

Rev.mus primus Consultor legit indices a se concinnatos circa quaestiones ordine judiciali vel administrativo tracandas.

En textus Rev.mus primus Consultor:

«Discrimen inter res iudiciales et res administrativas a iure canonico non ignoratur.

I. *De iure condito*, quae iudicialiter, quae vero administrative pertractanda sint, ita exponi possunt:

A) *Via iudicali* semper pertractandae sunt causae:

1) *Contentiosae* de vinculo matrimonii, salvo iure Congregationum S. Officii atque Disciplinae Sacramentorum (cann. 1576, § 1, 1°; 247; 249; 1962). Atque etiam de iuribus et bonis ecclesiae cathedralis (can. 1576, § 1, 1°).

2) *Criminales*: ob delicta quae important poenam degradationis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, depositionis atque excommunicacionis salvo praescripto can. 1933, § 4 (can. 1576, § 1).

B) *Iudicario vel disciplinario* ordine pertractandae sunt causae de vinculo Sacrae ordinationis vel de obligationibus S. Ordini adnexis, prout Sacrae Congregationes S. Officii vel Disciplinae Sacramentorum in singulis casibus definierint (cann. 1576, § 1, 1°, et 1993). Alterutram viam partes libere eligere poterunt in caeteris causis in quibus disceptetur de iure subiectivo actione praedito (cann. 1552, § 2, et 1667).

C) *Via administrativa* semper adhibenda est:

- a) in causis de quibus in libro IV, parte III agitur;
- b) in causis de quibus in can. 1601;
- c) in aliis causis sub litteris A et B non comprehensis.

Discrimen hoc pendet a voluntate legislatoris at cum fundamento in negotiorum qualitate. Etenim:

1) *Administrative* pertractandae sunt quaestiones quae ad Ecclesiae gubernationem referuntur, nempe omnes actus in quibus potestas publica, directa et primaria ratione, intuitu boni publici, intra limites legis ordinat propriam activitatem aut etiam ministrorum Ecclesiae atque fidelium. Etiam dispensationes.

2) *Iudicaliter* solvendi sunt conflictus iurium inter privatos, et poenae applicari. Dantur tamen sequentes exceptiones:

a) Sacrae Congregationes S. Officii et de Disciplina Sacramentorum viam administrativam eligere possunt in causis de vinculo matrimoniali vel de vinculo ordinationis et oneribus S. Ordini adnexis cum agitur de casibus facilitioribus, qui sollemnitates iudicii non exigunt.

b) Item legitimus superior potest administrative applicare poenas de quibus in can. 1933 § 4, modo delictum certum sit.

c) Immo possunt partes administrativam viam communi consensu postulare, nisi bonum commune exigat ut controversia iudicialiter solvatur.

II. *De iure condendo:* multi vellent ut poenae semper iudicialiter applicentur, ne ius rei ad defensionem quoquo modo laedatur. Quaestio tamen solvi non posse videtur antequam cognoscatur tum iuris poenalis reformatio, tum administrativi processus nova ordinatio ».

Deinde habetur discussio.

Rev.mus secundus Consultor optat ut, quantum fieri potest, ordo iudicialis potius restringatur, vel, si placet, detur optio interesse habentibus eligendi ordinem administrativum vel iudiciale. Forsitan bonum esset admittere advocatos etiam in ordine administrativo.

Circa hanc ultimam propositionem, admittendi nempe advocatos etiam in ordine administrativo, omnes Consultores conveniunt, eo sensu quod, saltem in stadio recognitionis facti, aliquae sollemnitates habeantur. Quaestio ita posita, evolvitur deinde a Rev.mo Secretario qui in lucem ponit etiam argumenta contra propositionem, id est: maiores expensaa pecuniarum, incrementum litigiositatis et, consequenter, emersionem aliorum factorum ad ordinem iudiciale saepe saepius pertinentium.

Rev.mi Relator et primus Consultor notant tendentiam aliquam, in societatibus civilibus, depoenalizationis plurimarum transgressionum. Quae tendentia potest forsitan praevideri quod habeatur etiam in nostra Commissione de delictis et poenis; proinde attendenda sunt quae ab illa Commissione determinentur. Nostrae Commissionis erit autem normas proponere processus administrativi sicut et iudicialis; optandae sunt normae de discriminis inter ordinem administrativum et ordinem iudiciale. Rev.mus Secretarius in mentem revocat labores Commissionis de parte generali Codicis ubi certo evolvendae erunt normae de acibus et de factis iuridicis et ibi forsitan locus aptior invenietur definiendi discrimin illud. Coetus noster ergo indicabit illi Commissioni opportunitatem examinandi quaestionem hanc.

Rev.mus secundus Consultor dicit non multum disputandum esse theoretice de hac quaestione, sed potius, iure positivo, determinandas esse quaestiones ordinem iudiciale, vel administrativum vel utrumque per optionem requirentes.

Alia quaestio generalis quam Rev.mus Relator proponit studio Consultorum, est *de laicis assumendis uti assessoribus, auditoribus et notariis*. Ratio-

nes huius propositionis in Relatione Rev.mi Relatoris habentur, circa quas omnes Consultores convenient.

De singulis officiis habentur.

Assessores

Circa rationem allatam a Rev.mo Relatore, vocandi nempe laicos ad munus Assessoris ut possit ab illis votum consultivum postulari saltem in causis contentiosis de quibus non raro sacerdotes, propter defectum scientiae iuridicae civilis non sufficienter apti sunt ad negotia ista dirimenda. Rev.mus primus Consultor dicit ad hunc effectum sufficere peritos. Sed Rev.mus Relator opponit peritos nullam habere partem in decisione iudicis, dum, e contra Assessores iuvamen aliquod praebere debent praecise in decisione iudicis.

Consultores omnes admittunt etiam laicos posse vocari ad munus Assessoris, proinde delendam esse secundam partem can. 1575.

Auditores

Rev.mus primus Consultor putat difficile esse in multis regionibus invenire laicos idoneos. Rev.mi tertius Consultor et Secretarius, e contra dicunt difficile potius esse invenire sacerdotes idoneos in illis regionibus, quinimmo saepe inveniuntur laici longe magis idonei. Ceterum non praetereundum est quod vocationes sacerdotales in dies minuuntur, quin dicatur ianuam aperiri posse futuris diaconibus ut nempe hoc munere fungi valeant.

Omnibus perpensis, etiam pro munere Auditoris, omnes Consultores assensum dant propositioni Relatoris «ut saltem in can. 1582 admittatur laicos posse procedere ad partium testiumve audientiam seu ad actos non iurisdictionales saltem causarum matrimonialium».

Notarii

Omnes Consultores votum faciunt ut expresse, in can. 373, universim agnoscatur possilitas vocandi laicos ad munus notarii, exclusis laicis tantummodo quando agitur de causis criminalibus clericorum.

In fine Rev.mus primus Consultor quaestionem ponit de admissione mulierum ad munus notarii vel advocati in Tribunalibus ecclesiasticis, dummodo ipsae habeant conditiones requisitas a iure et agant in causis quae ipsas non dedeant. In tribunalibus civilibus hoc iam admittitur.

Omnes Consultores putant mulieres posse ad illa munera vocari, sed non ordinarie ad causas matrimoniales si sint religiosae.

Adunatio IV^a
die 25 maii 1966 vespere habita

Rev.mus Relator quaestionem proponit generalem *de constituendo in Ecclesia Consilio Supremo Administrationis*. Ille resumit ea quae in Relatione iam distributa inveniuntur, ac praeterea e propria experientia afferat rationes quae opportunitatem suadent constituendi praedictum Tribunal.

Consultores omnes concordes sunt cum Rev.mo Relatore. Quaestiones vero suscitant quas in sede revisionis Codicis illa constitutio afferre posset. In concreto denuo agitatae sunt quaestiones Sessionis praecedentis de distinguendis his quae ordine administrativo tractari debeant vel possint, et his quae ordinem iudicialem necessario requirunt, et de loco Codicis Iuris Canonici ubi agendum sit de natura actus administrativi.

Quaestio ergo dilata est, et remissa ad tempus magis opportunum.

Postea Rev.mus Relator proponit ut Consultores ad examen veniant canonum CIC de processibus.

Primum de ipso titulo libri, id est *de processibus* discussum est.

Rev.mus primus Consultor vult ut liber iterum sumat titulum *de iudiciis* prout in Motu Proprio *Sollicitudinem Nostram* pro Ecclesia orientali factum est. Alius Consultor quaestionem remittendam esse dicit ad Commissionem Codicis systema tractantem, cum multum pendeat ab iis quae Liber in forma definitiva continere debet, videlicet: processum proprium iudiciale, processus administrativos diversi generis, processus denique speciales, prout est processus in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei vel alios.

Rev.mus primus Consultor instituit in argomento principali suaे opinionis, scilicet in aliis libris Codicis, v. gr. in l. II processus judicialis in dimissione religiosorum in religione clericali exempta describitur; item in l. II et III processus administrativi innuuntur pro electione ad providendum officium, vel ad beneficium erigendum vel conferendum indicantur.

Alii Consultores censent, nunc saltem, titulum *de processibus* conservandum esse.

Adunatio V^a
die 26 maii 1966 mane habita

Rev.mus primus Consultor invitatur a Rev.mo Relatore ut legat schema ab ipso paratum (iuxta mandatum ipso in I Sessione datum) circa novam redactionem can. 1574 bis *de Tribunalibus regionalibus*.

Textus ita proponitur a Rev.mo primo Consultore:

« § 1. Episcoporum nationales Conferentiae facultate donantur erigendi Tribunalia Regionalia pro territoriis suaे iurisdictioni subiectis, assignata cuilibet Tribunali opportuna circumscriptione.

§ 2. Regionale Tribunal competens est ad pertractandas in prima instantia cum potestate ordinaria omnes causas non reservatas regionis pro qua constitutum est.

§ 3. Episcoporum nationalis Conferentiae erit:

- 1) sedem Tribunalis regionalis determinare;
- 2) iudices, promotorem iustitiae, vinculi defensorem, notarios eorumque substitutos ad validitatem pro quinquennio prorogabili constituere;
- 3) Tribunalis regionalis praesidem eligere;
- 4) retributionem pro ministris a dioecesis solvendam necnon advo-
catorum et procuratorum emolumenta statuere;
- 5) iudices ex legitima gravique causa amovere, concesso amoto iure
recursus ad Apostolicam Sedem.

§ 4. Huiusmodi determinationes Conferentiae ad Sedem Apostolicam pro notitia communicanda sunt.

§ 5. Archiepiscopus vel Episcopus in cuius territorio Tribunal regionale sedem habet est Tribunalis moderator cum omnibus iuribus et officiis quae Episcopo a lege in suo territorio tribuuntur, nisi aliter cautum sit ».

Deinde discussiones habentur inter Consultores ad textum melius expoliendum. Consequenter §§ 3-4-5 ita modificantur:

« § 3. Episcoporum nationalis Conferentiae erit:

- 1) sedem Tribunalis regionalis determinare;
- 2) Tribunalis regionalis praesidem eligere;

- 3) iudices, promotorem iustitiae, vinculi defensorem, notarios eorumque substitutos constituere ad quinquennium;
- 4) retributionem ... (ut supra);
- 5) iudices ... (ut supra).

§ 4. Huiusmodi determinationes Conferentiae cum Sede Apostolica pro notitia communicandae sunt.

§ 5. Archiepiscopus vel Episcopus in cuius territorio Tribunal regionale sedem habet est Tribunalis moderator cum omnibus iuribus et officiis quae Episcopo a lege in proprio Tribunalni tribuuntur, nisi aliter cautum sit ».

Deinde Rev.mus Relator schema aliquod proponit *circa secundam instantiam*, iuxta ea quae in secunda Sessione dicta sunt.

En textus ab Rev.mo Relatore propositus:

« Can. 1986. § 1. A prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, vinculi defensor ad superius Tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus: quod si facere negligat, auctoritate praesidis compellendus est.

§ 2. Apud Tribunal secundae instantiae vinculi defensor suas animadversiones exhibeat ut dicat utrum contra latam decisionem aliquid opponendum habeat, seu minus.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, et visa sententia, collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet vel ad ordinarium examen secundi gradus causam admittit. In priori casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impedianter, post decem dies ad novas nuptias transire.

§ 4. Adversus decretum Collegii, sententiam primi gradus ratam habens, datur recursus a defensore vinculi vel a parte quae se gravatam putet ad superius tribunal, sed tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae etiam praesto sint. Huiusmodi argumenta debent exhiberi Tribunalni tertii gradus intra mensem ab interpositione recursus. Defensor vinculi tertii gradus potest a recursu recedere; quo in casu tribunal declarat causam finitam. Si autem pars recurrit, Tribunal, perpensis argumentis allatis, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad examen tertii gradus ».

Consultores aliquas mutationes mere formales proponunt, quae a Relatore acceptantur ita ut textus ita sit redigendus:

«Can. 1986. § 1. A prima sententia ... (ut supra).

§ 2. Apud Tribunal secundae instantiae vinculi defensor suas animadversiones exhibeat ut dicat utrum contra decisionem latam in primo gradu aliquid opponendum habeat, necne.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, et visa sententia, Collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel ad ordinarium examen secundi gradus causam admittit. In priori casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impedianter, decem diebus a decreti denuntiatione elapsis novas nuptias contrahendi.

§ 4. Adversus decretum Collegii, sententiam primi gradus ratam habens, defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurrendi ad superius Tribunal, sed tantummodo prolatis, novis et gravibus argumentis, quae etiam praesto sint. Huiusmodi argumenta debent exhiberi Tribunalis tertii gradus intra mensem ab interpositione recursus.

§ 5. Defensor vinculi tertii gradus potest a recursu recedere: quo in causa Tribunal declarat litem finitam. Si autem pars recurrerit, Tribunal, perpensis argumentis allatis, vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad examen tertii gradus».

Deinde Consultores veniunt ad examen canonum 1552-1607.

Can. 1552

Consultores dubitant de opportunitate dandi definitionem iudicii, siquidem omnis definitio in iure periculosa. Definitio quae in hoc canone praebetur est incompleta atque inadaequata (Rev.mi primus et tertius Consultores). Quod si retinenda sit, corrigatur ut appareat agi de controversiis *iuridicis* et non de aliis controversiis v. gr. dogmaticis, liturgicis etc. (Rev.mi secundus Consultor et Relator). Rev.mus Secretarius dicit auspicandum esse in novo Codice titulum de «verborum significatione». Consultores suum faciunt hoc auspicium et proinde convenient ut provisorie § 1 can. 1552 relinquatur prout est.

Circa obiectum iudicii de quo in § 2 omnes Consultores dicunt praferendam esse modificationem factam in Codice Orientali (can. 1) circa facta iuridica tamquam obiectum iudicii. Proinde formula § 2 fiet sicut est in Codice Orientali.

Can. 1553

« § 1. Ecclesia iure proprio et exclusive cognoscit:

1° de causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas».

Ill.mus Rev.mus primus Consultor, sese referens ad aliquod schema praeparatorium Concilii Vat. II, optat ut ius Ecclesiae de rebus *non* spiritualibus restringatur ad res « inseparabiliter » spiritualibus adnexas. Rev.mus Secretarius censem omnino gravem talem renuntiationem ex parte Ecclesiae; nam, ut exemplum afferatur, bona temporalia sunt certe « separabiliter » adnexa spiritualibus, nemo tamen potest negare opportunitatem quod Ecclesia iudicet causas illa bona respicientes; ceterum, dicit Rev.mus Relator, de habitudine Ecclesiae ad bona temporalia non est hic loquendum, sed potius in Commissione de rebus temporalibus.

Proinde n.1 huius § manet prout iacet.

N. 2 etiam manet prout iacet.

N. 3: «de omnibus causis ... quae respiciunt personas privilegio fori etc.».

Rev.mus Relator (convenientibus omnibus Consultoribus) proponit ut dicatur: «... *uti conventas* personas privilegio fori gaudentes», addendo nempe illa verba «*uti conventas*» (quia privilegium fori sese refert praecise ad personas in iudicio conventas) et supprimendo verba «ad normam cann. 120, 614, 680» quae uti alligatio inutilis iudicantur, immo inopportuna; quia videntur excludere personas morales, quae quidem gaudent privilegio fori (ita omnes Consultores). Rev.mus Secretarius convenit de supprimendis his ultimis verbis, sed negat quod possent praeiudicium afferre personis moralibus, quia (praeter quaestionem quod communiter inter auctores admittatur personas morales privilegio fori gaudere) personis ipsis moralibus bene consultur per n. 1 eiusdem §, ubi Ecclesia sibi agnoscit ius proprium et exclusivum circa omnes causas res cum spiritualibus adnexas respicientes.

§ 2. Rev.mus secundus Consultor proponit ut circa causas mixti fori non detur locus praeventioni, sed unumquodque forum videat causam pro sua parte. Alii Consultores opponunt quod in can. 2198 habetur quod postulatur a Rev.mo secundo Consultore, proinde ista § 2 can.1553 potest manere prout est.

Can. 1554

Omnes Consultores conveniunt can. 1554 committendum esse studio Coetus de delictis et poenis.

Can. 1555

Ad normam recentis M.P. Pauli VI 7 dec. 1965 (*AAS* 57 [1965], p. 952), can. 1555 ita est modificandum:

«§ 1. I^o S. Congregatio pro doctrina fidei procedit modo administrativo, vel iudicali, pro diversa rerum tractandarum natura.

2^o Cum agitur de Sacramenti Poenitentiae dignitate tutanda, ipsa secundum suas emendatas normas procedit, facta reo sese defendendi facultate, eligendive patronum ex iis qui apud Congregationem adprobati sunt.

3^o Cum vero de delictis contra fidem iudicat, processus ordinarii normas servat.

4^o Inferiora quoque Tribunalia, in causis quae ad eandem S. Congregationem spectant, praedictas normas sequi debent».

Ita omnes Consultores. Aliqui tamen, una cum Rev.mo Secretario, dubium movent circa opportunitatem ponendi hunc canonem in isto libro de processibus.

Rev.mi Secretarius, primus et tertius Consultores petunt ut hic ponatur canon quem Rev.mus Relator proponit in sua Relatione, n. 15, id est:

Can. 1555 bis:

«In canonibus huius libri, nomine Ordinarii non intelligitur Vicarius Generalis, nec munitus mandato speciali».

Antequam progrediatur ad titulum de iudiciis, Rev.mus primus Consultor ponit duas quaestiones quas repetit ex Della Rocca:

1) Tribunalia deberent, saltem per singulas nationes, proprium ordinem agendi seu «regolamento» habere. Rev.mus Relator opponit tale «ordinamento» evacuare seu vanificare legislationem ecclesiasticam quae, saltem in generalibus, debet esse universalis.

2) Pro iudicibus ecclesiasticis deberent haberi «cursus honoris» (ruoli) ad consulendum meliori administrationi iustitiae. Sed talis propositio irrealis censetur ab omnibus Consultoribus ob dioecesum paupertatem.

Can. 1556

«Prima Sedes a nemine iudicatur».

Rev.mus tertius Consultor ad habendam uniformitatem terminologiam petit ut dicatur «Summus Pontifex» loco «Prima Sedes». Alii Consultores autem nolunt illa verba mutare propter pregnantem valorem historicum et, additur, nostris temporibus forsitan etiam oecumenicum.

Can. 1557

Omnes Consultores convenient can. 1557 corrigendum esse iuxta ea quae proponuntur in relatione Rev.mi Relatoris, id est:

- In capite § 1 addatur: «iudicandi, ut plurimum per iudices quos ipse designaverit»;
- in § 1, n. 1° addatur: «... horumque *coniuges*, filios ac filias eosve...»;
- in § 1, n. 2°, addatur: «... et Patriarchas»;
- in § 1, addatur n° 4 novus: «Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium». Verba haec tolluntur e § 3;
- in § 2, n.1° ita corrigatur: «Episcopos, etiam titulares in contentiosis...»;
- in § 2, addatur novus n. 2°: «Abbatem primatem, vel Abbatem Superiorem Congregationis monasticae, et Supremun Moderatorem religionis exemptae»;
- in § 2, n. 3° corrigatur ita: «Personas ecclesiasticas, sive physicas sive morales, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent», uti habetur in codificatione orientali (can.16).

Cann. 1558 et 1559

Manent prout sunt, contra sententiam Rev.mi secundi Consultoris qui vellet can. 1558 ita complere: «... est absoluta, *ex quo iudicium ab eis factum est nullum*» et can. 1559: «....dicitur relativa, *qua non obstante iudicium tamen valet*». Explicationes istae enim supponuntur e doctrina.

Adunatio VI^a
die 26 maii 1966 vespere habita

Can. 1560

Canon manet prout est; tantum in n. 4^o, addendum est: «... coram Ordinario loci *ultimi* domicilii testatoris», sicut habetur in Codice Orientali (can. 23, n. 4). Ita omnes Consultores.

Rev.mus primus Consultor tamen vellet totalem suppressionem huius canonis quia:

a) ante CIC non habebatur forum necessarium; figura haec de foro necessario mutuata est ex codicibus civilibus. In praxi rarissime occurunt causae de quibus in can. 1560; iamvero lex de iis quae plerumque occurunt fieri debet;

b) libertatis actoris limitationem implicat;

c) sublata lege, atque occurrente casu, actor forum quod nunc necessarium est fere semper eliget utpote quod suaee causae generatim faveat.

Sententiae Consultorum sunt discordes. Rev.mi Relator, tertius et secundus Consultores stant pro conservatione fori necessarii; Rev.mi Secretarius, primus et quartus Consultores, stant pro suppressione. Proinde quaestio dilata est.

Can. 1561

Retineatur tantum § 1. Paragr. 2 autem deleatur, sicuti factum est in codificatione orientali (can.24) quia continet inutilem praecisationem.

Ita omnes Consultores.

Can. 1562

Omnes Consultores conveniunt in propositione facta ab Rev.mo Relatore et a Rev.mo primo Consultore circa abolitionem fori peregrinorum in Urbe.

Hanc occasionem nactus, Rev.mus Secretarius in mentem astantium revocat secretum servandum circa ea quae a Consultoribus in Sessionibus dicta sunt, eo vel magis quod aliquando, sicut in casu can. 1562, de rebus agitur quae tangunt privilegia aliqua et, proinde, decisioni illorum qui auctoritatem habent relinquenda sunt.

Can. 1563

Adhibenda est formula Codicis Orientalis, can. 26. Ita omnes Consultores.

Can. 1564

Manet prout est.

Can. 1565

Omnes Consultores censem § 1 huius canonis modificandam esse ad normam responsonis Pont. Comm. Interpr. 14 iulii 1922 (*AAS* 14 [1922], 52).

Formula ita proponitur:

« Ratione contractus pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est, vel adimpleri debet, nisi pars e loco discesserit, salvo praescripto § 2 ».

§ 2. Manet prout est.

Can. 1566

Rev.mi tertius Consultor et Relator censem §§ 1 et 2 iungendas esse in unica formula. Omnes convenient et nova formula ita proponitur:

« Ratione delicti, reus, licet absens, conveniri potest coram Ordinario loci in quo delictum patratum est ».

Can. 1567

Rev.mi Relator, primus et tertius Consultores suam faciunt propositio nem Ciprotti et proponunt hanc novam formulam quam etiam alii Consultores approbant:

« Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi obstet incompetentia iudicis absoluta aut praescriptum can. 1576 § 1 ».

Rev.mus secundus Consultor proponit diversas paragrafos, uti videri potest in suo voto, sed tandem et ipse propositioni Rev.mi Relatoris et aliorum Consultorum assensum praebet.

Can. 1568

Manet prout est.

Can. 1569

§ 1. Manet prout est.

§ 2. Corrigenda sunt prima verba, sicuti in Codice Orientali: « Provo-
catio tamen ad Sedem Apostolicam etc...».

Can. 1570

§ 1. Abroganda utpote superflua. Ita omnes Consultores.

§ 2. Consultores censem parandam esse formulam aliquam breviorem,
proinde datur mandatum Rev.mo primo Consultori ut in proxima Sessio-
ne novam formulam proponat.

In Sessione VII diei 27 maii 1966 formula can. 1570, § 2 ita proponi-
tur a Rev.mo primo Consultore:

« Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal ab il-
lo petendo ut quoslibet actus processuales peragat. Numquam tamen inte-
grum processum, sed nec definitivam sententiam illi committere potest ».

Rev.mi Relator, Secretarius et secundus Consultor aliquas modifica-
tiones faciunt et, tandem, consentientibus omnibus, formula ita proponitur
redigenda:

« Quodlibet Tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal ut
quosdam actus processuales peragat, exceptis tamen illis actibus qui deci-
siones iudicium involvunt ».

Can. 1571

Rev.mus Relator proponit ut perficiatur, partim recipiendo formulam
Codificationis orientalis, partim ex nova additione. Alii Consultores appro-
bant formulam ab ipso Rev.mo Relatore redactam, scilicet:

« Qui causam vidit vel in eadem causa operam praestitit in uno iudicii
gradu, nequit valide in alio eandem causam iudicare aut munus assessoris
vel auditoris agere ».

Rev.mus Secretarius proponit ut hic ponantur quae in can. 1601
habentur, secundum redactionem tamen, mutatis mutandis, codicis ori-
entalis. Consultores convenient et formula ita proponitur:

«Can. 1571 bis. § 1. Contra Ordinariorum decreta, actus, dispositio-nes quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectant, non datur appellatio, ne ratione quidem refectionis damnorum, sed tantum recursus.

§ 2. De recursu, de quo in § 1, qui fiat ad Sedem Apostolicam, vident exclusive Sacrae Congregationes».

Can. 1572

§ 1. Manet prout est.

§ 2. Rev.mus Relator proponit ut examinentur suggestiones propositae a Rev.mis primo et tertio Consultoribus qui ponunt «dioecesis» loco «mensae vel Curiae dioecesanae» et «Tribunal appellationis» loco «ad iudicem immediate superiorum». Alii Consultores assensum dant unanimiter, sed quoniam Rev.mus Secretarius notat redactionem istius canonis subordinandam esse illis quae circa beneficia et officia ecclesiastica definientur a Commissione competenti, tantum *provisorie* proponitur formula § 2 hoc modo: «Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut dioecesis, controversia dirimenda deferatur ad Tribunal appellationis».

Can. 1573

§ 1. Consultores omnes dicunt nomen «officialis» mutandum esse in «Vicarius iudicialis».

Ill.mus Rev.mus primus Consultor vellet ut *semper et ubique* Vicarius iudicialis esset distinctus a Vicario Generali; alii Consultores normam tam rigidam irrealem censem, quia saepe, ob defectum personae competentis, impossibile est habere illos distinctos.

§ 2. Manet, mutato tamen nomine «officialis» in «Vicarius iudicialis».

§ 3. Nomen «Vice-officialis» mutandum est in «Vicarius iudicialis adiunctus».

§ 4. Manet prout est.

§ 5. Consequenter ad ea quae dicta sunt in Sess. II de stabilitate iudicium, censem resumenda formula proposita in Schematibus CIC, id est: «Removeri nequeunt Vicarius iudicialis, Vicarius iudicialis adiunctus et iudices quivis nisi ex legitima gravique causa, de qua removens respondebit in casu recursus».

§ 6. In fine ita corrigendum: «... non autem a munere iudiciali».

§ 7. Manet, mutato nomine «officialis», ut supra.

**Adunatio VII^a
die 27 maii 1966 mane habita**

Can. 1574

Pro nova redactione huius canonis Rev.mus Secretarius censet mutuandum esse formulam a Codice orientali, mutatis mutandis. Consultores conveniunt et nova formula ita proponitur:

«In qualibet dioecesi nonnulli presbyteri integrae famae in iure canonico periti, etsi alias dioecesis, nominentur ut in litibus iudicandis partem habeant; quibus nomen est iudicium dioecesanorum».

§§ 2 et 3 canonis 1574 delentur.

Can. 1574 bis

Hoc loco ponendus est canon de Tribunalibus regionalibus secundum ea quae in Adunatione V dicta sunt.

Can. 1575

Cum in Adunatione III dictum sit de possibilitate vocandi etiam laicos ad munus assessoris, Consultores censem retinendam esse tantum primam partem huius canonis, id est: «Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest».

Can. 1576

Circa hunc canonem quaestiones variae agitantur a Consultoribus, scilicet:

1) Rev.mus secundus Consultor rationes afferit circa opportunitatem statuendi Tribunal unius iudicis in causis de nullitate matrimonii et sacrae ordinationis et, ad rem, repetit quae in suo voto habentur. Alii Consultores autem nolunt accedere huic propositioni Rev.mi secundi Consultoris.

2) Alia quaestio habetur circa opportunitatem reservandi Tribunal col legiali causas contentiosas «de iuribus aut bonis temporalibus ecclesiae cathedralis», siquidem (dicunt Rev.mi Relator et primus Consultor) in can. 1572 iam dictum est quod «si agatur de iuribus et bonis temporalibus...

dioecesis controversia dirimenda deferatur ad Tribunal appellationis». Sed Rev.mi secundus Consultor et Secretarius memorant iura propria Capituli circa Ecclesiam Cathedralem, ita ut quaestio haec non possit assimilari illis quae de bonis *dioecesis* in genere habentur, de quibus in can. 1572.

3) Alia quaestio est de «turnis» iudicium quorum compositio non debet manere ad libitum Ordinarii vel moderatoris Tribunalis. Rev.mus Relator proponit (alii Consultores assensum praebent) ut dicatur «ex ordine per turnum».

His dictis, et pree oculis habitis etiam quae in correspondenti canone Codicis Orientalis (can. 46) habentur, nova formula can. 1576 ita proponitur:

«§ 1. Reprobata contraria consuetudine Tribunali collegiali trium iudicium reservantur:

1º causae contentiosae: a) de vinculo sacrae ordinationis et oneribus eidem adnexis; b) de vinculo matrimonii, firmo praescripto can. 1590; c) de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae;

2º Causae criminales: a) de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important; b) de irroganda vel declaranda excommunicatione.

§ 2. Episcopus vel moderator quando agitur de causis quae, attentis temporis, loci et personarum adjunctis et materia iudicii, difficilioris et maioris momenti videantur, committere eas potest iudicio trium vel quinque iudicium.

§ 3. Duos vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices dioecesanos vel regionales Episcopus vel moderator, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, vocet ex ordine per turnum.

§ 4. Item Vicarius iudicialis vel Praeses Tribunalis regionalis, nisi Episcopus vel moderator aliter in singulis casibus statuerit, potest tribunal collegiale constituere vocando iudices dioecesanos vel regionales ex ordine per turnum».

Can. 1577

Omnis Consultores censem canonem 1577 retinendum esse integrum quod attinet ad § 1; quod autem ad § 2 attinet, ita corrigendum:

«§ 2. Eidem preeest Vicarius iudicialis vel vicarius iudicialis adjunctus».

Can. 1577. bis

Rev.mus Secretarius, sese referens ad votum Rev.mi tertii Consultoris circa necessitatem definiendi attributiones seu obligationes Praesidis, proponit ut hic ponantur quae habentur in can. 1584, adhibita tamen formula can. 49 Codicis Orientalis.

Consultores convenient unanimiter.

Can. 1578

Deleatur. Ita omnes Consultores.

Can. 1579

Rev.mus primus Consultor proponit ut addetur § circa controversias «inter religiosos eiusdem monasterii sui iuris»; ipse Rev.mus primus Consultor et Rev.mus secundus Consultor proponunt ut in § 1 dicatur: «si controversia sit inter *domos* vel religiosos etc...»; demum Rev.mus secundus Consultor censem alia adhuc subiecta possibilis controversiae hypothizari et numerari debere in § 3, dum, e contra, Rev.mus Relator vellet formula aliqua complexiva indicare omnes possibles controversias quin eorum subiecta singillatim hypothizontur.

Sententiae Consultorum sunt discordes omnino. Demum Rev.mus Secretarius notat in stadio actuali laboris recognitionis codicis non esse opportunum aliquid definire circa hunc canonem; in novo enim codice certe evolvenda erit materia monachorum; sed utcumque multa pendent ab eis quae a Commissione «de religiosis» determinentur.

Recognitio huius canonis ergo dilata est.

Can. 1580

Consultores censem easdem facultates quae tribuuntur Ordinario, dandas esse moderatori Tribunalis regionalis. Proinde formula canonis ita proponitur:

«Potest Ordinarius vel Moderator Tribunalis regionalis etc.».

Can. 1581

Consultores censem auditores diligendos esse e iudicibus dioecesanis *vel regionalibus* et, pro Tribunalis religiosorum, ex *professis* eiusdem religionis.

Cann. 1582 et 1583

Manent prout sunt.

Can. 1584

Vide can. 1577 bis.

Cann. 1585 – 1593

Omnes Consultores proponunt ut substituantur canones 56-70 codicis orientalis pro canonibus 1586-1593 CIC, mutatis mutandis et praesertim:
can. 59: deleantur verba « seu iurispatronatus »;
can. 66: «... qui sint *clericci* integrae famae » loco « *presbyteri* », ut et diaconi possint ad illa munera nominari.

Adunatio VIII^a
die 27 maii 1966 vespere habita

Can. 1594

Canon provisorie relinquendus prout est. Oportet enim attendere quae in decretis postconciliaribus statuentur circa provincias ecclesiasticas et quae de religiosis a nostra « Commissione de religiosis » determinentur.

Can. 1594 bis

Statuatur appellatio a tribunalibus regionalibus iuxta ea quae dicta sunt in Adunatione V ubi actum est de praedictis tribunalibus regionalibus.

Can. 1595

Manet prout est.

Can. 1596

Consultores omnes petunt ut canon compleatur addendo verba quae habet codex orientalis (can. 76), id est: «....si autem ab unico iudice, etiam in gradu appellationis ab unico iudice definienda est ».

Can. 1597

Consultores censem canonem relinquendum esse substantialiter prout est; quae autem mutanda a reformatione Romanae Curiae pendent.

Can. 1598

Consultores censem tenorem huius canonis substituendum esse a can. 78 Codicis Orientalis.

Can. 1599

Canon manet prout est. Tantum in fine § 2 dicatur «... ope *collegiorum trium iudicum seu* turnorum qui sibi invicem succedunt». Ita omnes Consultores.

Can. 1600

Manet prout est.

Can. 1601

Positus est ut can. 1571 bis.

Can. 1602

De hoc canone dicetur post reformationem Romanae Curiae.

Can. 1603

Consultores acceptant rationes a Rev.mo Relatore datas in sua Relatio ne pro abolitione nn. 1 et 2 § 1. In n. 6 autem dicendum est «qui oriatur» uti in codice orientali.

Can. 1604

§ 1. Delenda est consequenter ad ea quae dicta sunt in can. 1603, § 1, nn. 1-2.

In § 2 dicatur: «... in suo collegio seu turno», prout in codice orientali.

In § 3 dicatur «Summus Pontifex» loco «Sanctissimus».

Can. 1605

Consultores censem hunc can. abolendum esse. Congruum est enim omnes omnino sententias rationes in facto et in iure continere debere.

Cann. 1606-1607

Consultores revocant disputationes inter auctores utrum potestas iudicialis delegari possit necne. De facto CIC possibilitatem admittit, proinde canones 1606-1607 relinquendi videntur prout sunt.

Rev.mus Relator vellet hoc vel aliquid simile sancire: « Iudex a Superiore constitutus, qui potestate ordinaria fruitur, non potest illam delegare ». Sed sententiae Consultorum sunt discordes, propterea solutio dilata est.

**APPENDIX
SCHEMA CANONUM**

Ad sensum eorum quae in Adunationibus praecedentibus dicta sunt, canones CIC 1552-1607 ita proponuntur recognoscendi:

Can. 1552

§ 1. Nomine iudicij ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio.

§ 2. Obiectum iudicij sunt:

1º Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel facta iuridica, quae per iudicem declarari earundem personarum interest; et tunc iudicium est contentiosum;

2º delicta quod spectat ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est criminale.

Can. 1553

§ 1. Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit:

1º De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas;

2º De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpare definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem;

3º De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt uti conventas personas privilegio fori gaudentes.

§ 2. In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aequa competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni.

Can. 1554

Hic canon committendus est studio Coetus de delictis et poenis.

Can. 1555

§ 1. 1º S. Congregatio pro doctrina Fidei procedit modo administrativo vel judiciali, pro diversa rerum tractandarum natura.

2º Cum agitur de Sacramenti Poenitentiae dignitate tutanda, ipsa secundum suas emendatas normas procedit, facta reo sese defendendi facultate, eligendive patronum ex iis qui apud Congregationem adprobati sunt.

3º Cum vero de delictis contra fidem iudicat, processus ordinarii normas servat.

4º Inferiora quoque tribunalia, in causis quae ad eandem S. Congregationem spectant, praedictas normas sequi debent.

Can. 1555 bis

In canonibus huius libri, nomine Ordinarii non intelligitur Vicarius Generalis, nec munitus mandato speciali.

Can. 1556

Prima Sedes a nomine iudicatur.

Can. 1557

§ 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi, ut plurimum per iudices quos Ipse designaverit:

1º Eos qui supremum tenent populorum principatum, horumque coniuges, filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;

2º Patres Cardinales et Patriarchas;

3º Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares.

4º Alias causas quae Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium.

§ 2. Tribunalibus vero Sedis Apostolicae reservatur iudicare:

1º Episcopos, etiam titulares in contentiosis, salvo praescripto can. 1572, § 2;

2º Abbatem primatem, vel Abbatem Superiorem Congregationis monasticae, et Supremum Moderatorem religionis exemptae;

3º Personas ecclesiasticas, sive physicis sive morales, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent.

Can. 1558

In causis de quibus in cann. 1556, 1557, aliorum iudicium incompetencia est absoluta.

Can. 1559

§ 1. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in cann. 1560-1568 determinantur.

§ 2. Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur relativa.

§ 3. Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habet, optione fori actori conceditur.

Can. 1560

Forum necessarium habent:

1º Actiones de spolio coram Ordinario loci rei sitae;

2º Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii;

3º Causae quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est;

4º Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci ultimi domicilii testatoris, nisi agatur de mera executione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Can. 1561

Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Ordinario loci.

Can. 1562

Abolendus est.

Can. 1563

§ 1. Vagus et ille cuius domicilium et quasi-domicilium ignota sunt, forum habent in loco ubi actu commorantur; religiosus in loco domus sua.

§ 2. Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sint, conveniri potest coram Ordinario loci in quo actor habet domicilium aut quasi-domicilium, vel, si hic sit vagus, commorationem.

Can. 1564

Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit.

Can. 1565

§ 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est, vel adimpleri debet, nisi pars e loco discesserit, salvo praescripto § 2.

§ 2. In actu autem contractus permittitur contrahentibus obligationis declarandae, urgenda vel imponendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.

Can. 1566

Ratione delicti, reus, licet absens, conveniri potest coram Ordinario loci in quo delictum patratum est.

Can. 1567

Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscenda sunt causae inter se connexae, nisi obstet incompetentia iudicis absoluta aut praescriptum can. 1576 § 1.

Can. 1568

Ratione praeventonis, cum duo vel plures iudices aequae competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit.

Can. 1569

§ 1. Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fidi in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 2. Provocatio tamen ad Sedem Apostolicam interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui cau-

sam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

Can. 1570

Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal ut quodam actus processuales peragat, exceptis tamen illis actibus qui decisiones iudicium involvunt.

Can. 1571

Qui causam vidit vel in eadem causa operam praestitit in uno iudicii gradu, nequit valide in alio eandem causam iudicare aut munus assessoris vel auditoris agere.

Can. 1571 bis

§ 1. Contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectant, non datur appellatio, ne ratione quidem refectionis damnorum, sed tantum recursus.

§ 2. De recursu, de quo in § 1, qui fiat ad Sedem Apostolicam, vident exclusive Sacrae Congregationes.

Can. 1572

§ 1. In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Ordinarius, qui iudicariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.

§ 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut dioecesis, controversia dirimenda deferatur ad tribunal appellationis.

Can. 1573

§ 1. Quilibet Episcopus tenetur Vicarium iudicialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.

§ 2. Vicarius iudicialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci: sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.

§ 3. Vicario iudicali dari possunt adiutores, quibus nomen est Vicariorum iudicialium adiunctorum.

§ 4. Tum Vicarius iudicalis tum Vicarii iudicialeis adiuncti esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, annos nati non minus triginta.

§ 5. Removeri nequeunt Vicarius iudicalis, Vicarius iudicalis adiunctus et iudices quivis nisi ex legitima gravique causa, de qua removens respondebit in casu recursus.

§ 6. Qui Vicarius Generalis est idemque Vicarius iudicalis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii Generalis non autem a munere iudicali.

§ 7. Si Vicarius iudicalis eligatur in Vicarium capitularem, ipse novum nominat Vicarium iudiciale.

Can. 1574

In qualibet dioecesi nonnulli presbiteri integrae famae in iure canonico periti, etsi alius dioecesis, nominentur ut in litibus iudicandis partem habent; quibus nomen est iudicum dioecesanorum.

Can. 1574 bis

§ 1. Episcoporum nationales Conferentiae facultate donantur erigendi tribunalia regionalia pro territoriis suaे iurisdictioni subiectis, assignata cuilibet tribunali opportuna circumscriptione.

§ 2. Regionale tribunal competens est ad pertractandas in prima instantia cum potestate ordinaria omnes causas non reservatas regionis pro qua constitutum est.

§ 3. Episcoporum nationalis Conferentiae erit:

1° sedem tribunalis regionalis determinare;

2° tribunalis regionalis praesidem eligere;

3° iudices, promotorem iustitiae, vinculi defensorem, notarios eorumque substitutos constituere ad quiquennium;

4° retributionem pro ministris a dioecesibus solvendam necnon advocationum et procuratorum emolumenta statuere;

5° iudices ex legitima gravique causa amovere, concesso amoto iure recursus ad Apostolicam Sedem.

§ 4. Huismodi determinationes Conferentiae cum Sede Apostolica pro notitia communicandae sunt.

§ 5. Archiepiscopus vel Episcopus in cuius territorio tribunal regionale sedem habet est tribunalis moderator cum omnibus iuribus et officiis quae Episcopo a lege in proprio tribunalni tribuuntur, nisi aliter cautum sit.

Can. 1575

Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessorcs consulentcs sibi adscire potest.

Can. 1576

§ 1. Reprobata contraria consuetudine tribunalci collegiali trium iudicium reservantur:

1° Causae contentiosae: *a*) de vinculo sacrae ordinationis et oneribus eidem adnexis; *b*) de vinculo matrimonii, firmo praescripto can. 1990; *c*) de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae;

2° Causae criminales: *a*) de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important; *b*) de irroganda vel declaranda excommunicatione.

§ 2. Episcopus vel moderator quando agitur de causis quae, attentis temporis, loci et personarum adjunctis et materia iudicci, difficulteris et maioris momenti videantur, committere potest iudicio trium vel quinque iudicium.

§ 3. Duos vel quattuor iudices qui uno cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices dioecesanos vel regionales Episcopus vel moderator, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, vocet ex ordine per turnum.

§ 4. Item Vicarius iudicalis vel Praeses tribunalis, nisi Episcopus vel Moderator aliter in singulis casibus statuerit, potest tribunal collegiale constituere vocando iudices dioecesanos vel regionales ex ordine per turnum.

Can. 1577.

§ 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.

§ 2. Eadem praeest Vicarius Iudicialis vel Vicarius iudicalis adjunctus.

Can. 1577. bis

§ 1. Tribunalis collegialis praeses, nisi ipse velit id officium gerere, debet unum de iudicibus tribunalis collegialis ponentem designare.

§ 2. Idem praeses potest ponenti alium ex iusta causa substituere.

Can. 1578

Deleatur.

Can. 1579

Recognitio huius canonis dilata est.

Can. 1580

§ 1. Potest Ordinarius vel Moderator tribunalis regionalis unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter, sive pro certa aliqua causa constituere.

§ 2. Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit.

Can. 1581

Auditores pro tribunali dioecesano, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus dioecesanis vel regionalibus; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex alumnis professis eiusdem religionis ad normam constitutionis.

Can. 1582

Eorum est testes citare et audire, aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre.

Can. 1583

Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eum elegit, iusta tamen de causa, et citra partium praeiudicium.

Can. 1584

Positus est ut can. 1577 bis.

Can. 1585

§ 1. Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si non fuerint ab eo suscripta.

§ 2. Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, actuarium assumat unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Ordinarius (vel moderator tribunalis regionalis) aliquem ad eam causam iam designaverit.

Can. 1586

Constituatur in dioecesi promotor iustitiae ad causas tum criminales tum contentiosas in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest.

Can. 1586 bis

§ 1. In causis criminalibus promotor iustitiae gerit partes accusatoris, eo tendens ut delinquentes iuste puniantur.

§ 2. Licet vero eius sit accusare et sustinere ex officio accusationem, id tamen praestare non debet, si censeat accusationem fundamento destitui.

Can. 1586 ter

§ 1. In causis contentiosis Ordinarii est ferre iudicium de eo utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae ex natura rei evidenter necessarius dicendus sit, ut in causis impedimenti ad matrimonium contrahendum, separationis inter coniuges, piae foundationis quod attinet ad eius exsistentiam, iuris foundationis propter libertatem Ecclesiae tuendam, etc.

§ 2. Si in praecedentibus instantiis intervenerit promotor iustitiae, huius interventus praesumitur necessarius.

Can. 1586 quater

§ 1. Promotor iustitiae in causis contentiosis bonum publicum tuetur. Itaque, quoad fieri potest, salva rei veritate, defendit e re nata iura matrimonii, piarum fundationum, Ecclesiae.

§ 2. Si causa plura capita complectatur, quorum quaedam dumtaxat ad bonum publicum spectant, de iis tantum promotor iustitiae curabit.

Can. 1586 quinquies

In causis contentiosis, ad tuendum bonum publicum, praeter promotorem iustitiae, admitti possunt ab Ordinario, eodem promotore audito, aliae personae praesertim morales.

Can. 1586 sexies

Ad causas in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii, constituatur in dioecesi defensor vinculi.

Can. 1587

§ 1. In causis in quibus promotoris iustitiae aut defensoris vinculi praesentia requiritur, iis non citatis, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.

§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.

Can. 1587 bis

Nisi aliud expresse caveatur:

1º Quoties lex praecepit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et vinculi defensor, si iudicio intersint, audiendi sunt;

2° Quoties instantia partis requiritur ut iudex quid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, qui iudicio intersint, eandem vim habet.

Can. 1588

§ 1. Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi obstet multiplicitas negotiorum et causarum.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum ad singulas causas.

Can. 1589

§ 1. Episcopi est promotorem iustitiae et vinculi defensorem nominare, qui sint clerici integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentia et iustitiae zelo probati.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis professus.

Can. 1590

§ 1. Promotor iustitiae et vinculi defensor constituti ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec ab administratore apostolico possunt removeri; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione.

§ 2. Iusta tamen de causa, Episcopus eos removere potest.

Can. 1591

§ 1. Ad acta iudicialia intimanda, nisi alias sit probatus tribunalis mos, constituantur cursores sive ad omnes causas sive ad certam causam; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, exsecutioni mandanda.

§ 2. Eadem persona utroque officio fungi potest.

Can. 1592

§ 1. Cursores et apparitores sint laici, nisi prudentia in aliqua causa sua-deat ut ecclesiastici ad id munus assumantur.

§ 2. 1° Cursores et apparitores sint integrae famae et omni exceptione maiores;

2° Idem ab Episcopo nominantur; removeri autem aut suspendi possunt, praeter quod ab Episcopo, ab eius successore aut Superiore, non autem ab Administratore dioecesis vacantis, nisi de consensu consultorum dioecesanorum.

Can. 1593

Acta quae hi conficiunt, publicam fidem faciunt.

Can. 1594

Recognitio canonis dilata est.

Can. 1594 bis

Statuendus est canon novus de appellatione a tribunalibus regionalibus de quibus in can. 1574 bis.

Can. 1595

Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.

Can. 1596

Si collegaliter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegaliter nec a minore iudicium numero definiri debet; si autem ab unico iudice, etiam in gradu appellationis ab unico iudice definienda est.

Can. 1597

Pro recognitione canonis, si quae facienda est, expotanda est reformatio Romanae Curiae.

Can. 1598

§ 1. Tribunal ordinarium a Romano Pontifice constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana, qui est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Ii Sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem iure praediti.

§ 3. Auditorum electio Romano Pontifici reservatur.

§ 4. Sacra Rota ius dicit aut per singula collegia trium Auditorum ex ordine seu per singulos turnos, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat.

Can. 1599

§ 1. Sacra Rota iudicat:

1° In secunda instantia causas quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;

2° In ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.

§ 2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus in can. 1557, § 2 aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope collegiorum trium iudicum seu turnorum qui sibi invicem succedunt.

Can. 1600

Causae maiores penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 1601

Positus est ut can. 1571 bis.

Can. 1602

Pro recognitione huius canonis expectanda est reformatio Romanae Curiae.

Can. 1603

§ 1. Apostolica Signatura videt potestate ordinaria:

- 1° De querela nullitatis contra sententiam rotalem;
- 2° De expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.
- 3° De recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit;
- 4° De conflictu competentiae qui oriatur inter tribunalia inferiora, ad normam can. 1612, § 2.

Can. 1604

§ 1. In casu suspicionis, Apostolica Signatura definit utrum sit locus recusationi Auditoris, necne; quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut, secundum suas regulas ordinarias, procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in suo Collegio seu turno manente vel excluso.

§ 2. In casu querelae nullitatis aut restitutionis in integrum aut recursus de quibus in can. 1603, § 1, nn. 1, 2, 3, de hoc tantum iudicat num sit nulla sententia rotalis, num locus sit restitutioni vel recursus sit admittendus; et nullitate declarata aut restitutione concessa vel admisso recursu, causam remittit ad Sacram Rotam, nisi Summus Pontifex aliter providerit.

§ 3. In examine supplicum libellorum Signatura, habitis opportunis notitiis et auditis iis quorum interest, decernit utrum annuendum sit, necne.

Can. 1605

Abolendus est.

Can. 1606 et 1607

Recognitio dilata est.